



Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatvs De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

42. Pluribus pastorem vocantibus, uno ad baptizandum, altero ad confeßionem excipiendam, alio ad communicandum, altero ad inungendum, alio ad matrimonium contrahendum, cui prius teneatur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

QVÆSTIO XLII.

Pluribus Pastorem vocantibus uno ad baptizandum, altero ad confessionem excipiendam, alio ad communicandum, altero ad vngendum, alio ad matrimonium contrahendum: Cui prius teneatur.

Quæstionis explicatio.

HÆc quæstio ex eodem forte quo præcedēs originem trahit: hoc enim frequenter accidit, cum pestis vel similis persecutio gravat, suntque pauci sacerdotes qui sacramenta ministrent, ut eodem tempore quidam sacramentum confessio-
nis, alii Eucharistia, alii extremæ vñctio-
nis, alii etiam sacramentum Baptismi ab
vno & eodem pastore petant. Cuius casus
meminit D. (a) Augustinus his verbis: *An* ^{a Epist. 180.} *ad Honorat.*

non cogitamus, cum ad istorum periculorum per-
venitur extrema, quantus in ecclesia fieri soleat ab
viroque sexu, atque ab omni etate concursus, aliis
baptisnum flagitantibus, aliis reconciliationem,
aliis etiam pœnitentie ipsius actionem, omnibus
consolationem & sacramentorum confectionem
& erogationem. Vbi si ministri desint, quantum
exitum sequitur eos, qui de isto sæculo vel non re-
generati exirent vel ligati? Quantus etiam est lu-
cifidelium suorum, qui eos secum in vita eternæ
requie-

HO DE NECES. ET MOD. MINIST.
requie non habebunt? Quantus deniq; gemitus o-
mnium, & quorundam, quanta blasphemia de
absentia ministeriorum & ministrorum? Huius
occasione queritur, quem ordinem in hu-
iustmodi casibus tenebitur obseruare.

Responso.

PRIMO loco ministrabit sacramentum
Baptismi. Quare si sit infans peste infe-
ctus seu recens à matre peste infecta in lu-
cem editus, omnibus postpositis sollicite
curabit, ut illum baptizet, quia præ reliquis
est in maiori necessitate: Siquidem fideiar-
ticulus est, parvulum alia ratione quam ba-
ptismo realiter suscepit saluari non posse,
a Ioan. 3. per illud: (a) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &*
spiritu sancto, non potest introire in regnum ce-
lorum.

Secundo loco ministrabit sacramentū
pœnitētiæ, quia relapsis in peccatum mor-
tale post baptismum, est reliquis sacra-
mentis magis necessarium, sine illo enim, r̄e vel
voto suscepito, nemo relapsus saluari po-
test. Siquidem licet Eucharistia, Confir-
matio, extrema Vnctio suo modo respecti-
ue sint in præcepto, atque ita obligent ad
sui susceptionem, tamen subinde quis sine
illis saluari potest, ut si quis à confessione ex
hac vita subito rapiatur, ita ut votum seu
deside-

desiderium expressum cæterorum sacramentorum formare non posse.

Tertio loco Eucharistiam.

Postremo, extremam Vnctionem, quæ et si ministrari da veniat, non est tamen tantæ necessitatis, ut suæ reliqua sacramenta, de quibus singulis plura consequentes suis locis dicemus.

Dices primo: Quid si plures sint qui simul petat baptizari, vel simul petant confiteri, & sic de aliis?

Respondeo ex dictis resolutione patere.

Dices 2. Potest etiā esse peccatum mortale non seruare ordinem in ipsis sacramentis.

¶. Iudicandum fore pro diuersitate peruerisionis & iniuriæ, quæ ob illum non seruatum infertur, v.g. si ad duos vocatur, ad unum pro baptismo, ad alterum pro extrema vunctione, & relicto baptizando ministret extremam vunctionem, mortale erit, quia maximam iniuriam infert infanti, expōndo illū periculo æternæ damnationis: Si ad alios duos vocatur, ad unum quidem pro sacro viatico, ad alterū pro extremavunctione, & personæ pares sunt, non videtur nisi veniale, si postposito viatico ministret extremā vunctionem, præsertim si sciat mortaliter loquendo neutrū esse in periculo salutis, quia alteri nō ita graue iniuriā infert.

Q V A.